

p. 521. ut taceam Commentatores Augustanæ Confessionis, quorum aliqui controversiam de autore Hypognostici tetigerunt. Judicium suspendere videntur Jo. HVLSEMANNVS in Manuali Confessionis August. p. 769. et Jo. BENED. CARPZOVIVS in Isag. in libros Symbol. p. 486 Augustini autem Hypognosticon esse expresse negat S. R. D. Jo. GE. WALCHIVS in Introd. in libros Eccles. Luth. Symbolicos p. 317.

§. XV.

Nova argumenta apud tot tantosque Scriptores nonnisi pauca hæc reperio : BELLARMINVS silentio Augustini in Retractationibus et Possidii in Indiculo addit silentium Bedæ aliorumque Veterum, NATALIS ALEXANDER superaddit S. Prosperti et S. Fulgentii silentium, quæ nos ad argumentum historicum I. supra §. VI. expositum commode referemus; Hic ipse Alexander hæc etiam habet egregia, ad amplificationem argumenti nostri conjecturalis II. & III. §. X. & XI. explicati facientia : „Nonnulla denique a S. Augustini doctrina prorsus aliena. Libro enim IV. cap. 2. ita legit (Hypognostes) “ ex Gen. III. 7. *Consuerunt folia ficæ, & fecerunt sibi tegumenta*, quam versionem tanquam faventem Pelagianis impugnat S. Augustinus, & pro tegumentis sive vestimentis contendit legendum *Succinctoria* lib. II. de Nuptiis & Concupiscentia & alibi; Hypognostes *stimulum carnis* ex 2. Cor. XII. exponit *concupiscentiam*, & S. Augustinus Enarratione in Psalm. 130. *stimulum illum interpretatur dolorem quendam corporis*, quo Apostolus exagitabatur vehementer lib. VI. cap. 2. Hypognostes prædestinationem ex prævisione operum esse docet, quod Augustinianæ doctrinæ repugnat. GARNERIVS hæc adjicit in iisdem argumentis nostris conjecturalibus II. & III. locum habentia : “ Inter capitalia quinque Pelagianorum dogmata recenset Hypognostes, *quod libido sit naturale bonum*, nunquam recensuit Augustinus, etiam cum de hæresibus sub finem vitæ scriberet. Nunquam siluisset

D

Au-“